Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 599
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 33. p. 2. *Incipiunt hebraice questiones de libris malachim id est regum questiones hebraice de libris samuel.* Ita: *Fuit vir unus de ramatham sophim* &c. Neque hae sunt *Hieronymi*, sed teste *Rab. Mauro* Hebraei cujusdam modernis temporibus in Legis scientia florentis, ut iterum Admonitio *append. cit. col.* 753. docet. Finiunt editae: *domum domini in Jerusalem fabricaret;* sed in Codice paullo aliter procedunt, et finiunt in L. III. c. 2. v. 28.

IV. *fol.* 54. p. 2. *Incipiunt hebraice questiones prioris partis libri dabre iamin in quibus si vis tenere ordinem hystorie alfabeto e regione affixo naturaliter innitere.* Sed omisit *Alphabetum* istud Librarius. Ceterum eodem modo inscriptas habuit *Vallarsius*, ut videre est *append. cit. col.* 789. Ineunt utrobique: *Heber nati sunt duo filii*, et finiunt: *ut ruinas templi restauraret.* Ejusdem cum praecedentibus Autoris.

V. *fol.* 71. p. 2. *Incipiunt* (Quaestiones) *in abacuc prophetam.* In prima II. Capita: *Vbicumque onus verbi domini ponitur, grauedo in prophetia illa signatur. Queritur propheta ad dominum* (v. 4.) *cur impij prevalent aduersus iustos* &c. Jure referri posse ad *Hebraeum* illum *Rabani Mauri* mihi videntur cum e stilo, tum, quod nulla in eis novae Legis mentio. Itaque incognitae omnibus *Hieronymi* Editoribus, atque ἀνέκδοτοι. Desinunt: *sileat a facie omnis terra cum venerit ad iudicandum.*

VI. *fol.* 73. *De ieiunijs disputacio ex Zacharia VIII. cap.* Exponitur videlicet e v. 19. quando et quare institutum sit *Jejunium quarti, quinti, septimi* et *decimi mensis.* Ignota pariter omnibus, et verisimiliter ad eundem *Hebraeum* referenda, de quo optandum, ut *Rabanus* nomen, et a quo latine redditus fuerit, edidisset. Incipit: *Hec dicit dominus exercituum. Ieiunium quarti* &c. *Ieiunium quarti dicitur, quod est ieiunium in quarto mense septima decima scilicet eiusdem mensis die* &c. Et finit: *ducti in captiuitatem ezechiel propheta et mardocheus.*

VII. *fol.* 73. p. 2. *Chronica succincte scripta de regno hebreorum.* Una e multis a Christiano compilata, cujus initium: *Quadragesimo tercio anno nini regis assyriorum abraham patriarcha natus* &c. Et finis: *transtulit decem tribus israel in assyrios et ciuitates medorum.* Sed prius Principes *Juda* ad *Vespasianum* et *Titum* deduxerat.

VIII. *fol.* 74. p. 2. *In nomine sancte et indiuidue trinitatis incipit liber proemiorum de librorum noui ac ueteris testamenti plenitudine quam in canone catholica recipit ecclesia iuxta uetustam priorum* (traditionem). Verba haec, quae nobis rubricam constituunt, in edit. *Breuliana* paucis mutatis ipsius Libri initium sunt. Est enim Opus *Isidori Hispal.* quod ibi legitur p. 405. Lectio nostra non ubique cum impressis conspirat. Ita enumerationi Librorum subjicit

Codex: